

89. c.

Epistola Principis Dolhoraki ad Illmum Marescallum

Generalem Statuum Confederatorum Reipublicae

Polonae ex Brzeszcow prope Janowiec die 31. Au-

gusti 1716.

Postquam huc veni habui benignam apud Sa-

cram Regiam Majestatem audientiam, intelle-

xique tam Sacram Regiam Majestatem, quam

ejus Ministros, omnem habere propensionem

ad stabilem, et promptam pacificationem

Reipublicae, cum autem in ultima epistola

mea promiserim Dominationibus Vestris ca-

rare modos, quibus hoc incoeptum opus ad

effectum quam citissime deducere possem, si-

mulque adinvenire solidas condiciones pro

praesidio Majestatis, et integra restitutione quie-
tis internae, idcirco recepta a S. R. Maiesta-
te Declaratione in scripto, nec non articulis spe-
tantibus tum ad exvinculationem utriusque
confederationis Palatinatum, et exercitus,
tum ad securitatem Majestatis copias ho-
rum omnium mitto D.D. Vestris, ex quibus
D.D. Vestrae conjicere poterunt. zelum Sere-
nissimi Regis erga Rempublicam, verumque
pacis desiderium, cum Serenissima Regia Ma-
jestas exercitum suum jam actu educat, spe-
rans quod Respublica visis sinceris ejus ad
pacem intentionibus ipsa etiam ex parte
sua disponet se ad acceptandas justas, et ra-
tionabiles pacis conditiones, suosque Com-
missarios cum plena facultate quam citis-

sine mittet vel ad perficiendum, et concludendum
 ad latus S. R. Majestatis tractatum, vel ad conve-
 niendum de locis, in quibus exercitus subsiste-
 re debent, statuendumque tempus indicendo
 rem Comitiorum generalium pacificationis, quae
 antea nonnulli ex confederatis Statibus pro-
 tendebant. Priusquam vero D. D. Vestrae co-
 stituant quem potissimum ex duobus propo-
 sitis modis ad quam promptissimam pacem
 idoneum judicent, optarem, ut D. D. Vestrae
 Armistitium post tres dies expiraturam (con-
 putato tempore, quo tam salutare opus
 ad felicem finem deduci possit) prolongent
 ulterius, neque quam citissime de eo certio-
 rem faciant. Promitto autem D. D. Vestris
 omnem cum applicatione mea, ex parte

Regiae Majestatis fore facilitatem ad prolon-
gationem dicti armistitii. Itaque adimplem-
do omnia, quae in me posita sunt ad quom
promptissimam Reipublicae pacem cum
fructu, et honore ejus, iteratis vicibus peto
a DD. Vestris, ut finalem Declarationem
ad me mittant, quam ardentissime expecto,
et quolibet in loco obfero obsequium mandando
semper

Descriptum et recognitum ex literis Principis Dolhorucki
(Nassiat. 8. Polonia tom. 146.), quae adseruantur in Ta-
bulariis Secretior. Vaticanis. In quorum Fidem
Dabam Jdibus Julii MDCGCXXXVII.

M. Morini
Tabular. S. R. E. Praefectus

